

THEODORICVS DE OSSENBRVCK MINORITĀ.



Theodoricus ab īeunte ætate humanioribus literis & Theologiæ operam dedit. in quibus plurimum progressus magnum nomen acquisiuit. Is postea circa Coloniam ordinē minorem ingressus est ut commodius studijs incubere, & homines suis concionib⁹ ad uirtutes impellere posset. Erat autē naturali facundia præditus, quam etiam eloquentiæ præceptis plurimum auxit. Vnde postea in habendis sermonibus tanta gratia diuinitus illustratus est, atque tot affectibus auditores suos permouit, ut simile concionatorem hactenus (Thiemio teste) Germania habuerit neminem. Nemo enim ipsum audiebat quin melior & doctior ab eo discederet. Omnes attentis auribus & aperto ore assidebant, suam misericordiam deplorabant, atq; ut æterna requie fruerentur, finem uitæ suæ optabant. Vnde tandem Theodoricus ille per totam prouinciam generalis prædicator constitutus fuit. Scripsit etiam, petente Hermanno Archiepiscopo Coloniensi, de passione Domini, & de exercitio interiori, cum quibusdam alijs. Floruit anno

1497. Trīt.